

*Conf.* Ex sanctis PATRIBUS apud VEGAM in Tridentinum, qui ex hoc præsertim capite quodcumque veniale peccatum exaggerant. Et quamvis illud Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes*, possit ex voce maxime græca eo sensu intelligi, quo homo dicitur offendere ad lapidem et cadere; favere tamen nostræ responsioni Suarez, licet contrarius, fatetur. 2<sup>a</sup>. Pars constat ex art. 1.

*Nec dicas 1<sup>o</sup>.* Quamvis Regi errata subditorum, et negligentia discipulorum Præceptoris displiceant, tamen hæc et similia non continent injuriam personæ illatam, nec sunt offensa proprie talis; ergo a pari peccata venialia.

R. N. *Cons.* Priora nihil sunt nisi actiones præcise displicentes, prout supponitur: posteriora sunt actiones personale jus lædentes; quia prohibitiæ supponuntur sub displicentiæ interminatione, ita ut etiam ex hoc unico capite displicantiam moverent, et pœnam provocarent, etsi ex se illa non mererentur.

*Nec dicas 2<sup>o</sup>.* Peccatum veniale solum est prohibitum sub pœna temporali, privatione uberiorum auxiliorum, imminutione fervoris, charitatis et aliarum virtutum: et sic respicit vel bonum ipsius hominis, quod lex intendit, vel bonum aliud Deo extrinsecum; ergo sicut furtum, quo quis Regi occulce auferat pecunias vel alia fortunæ bona, non est injuria personalis et offensa regia, sed tantum realis offensa; sic etiam se habet veniale.

R. 1<sup>o</sup>. N. A. Quia etiam est prohibitum sub interminatione displicantia divinæ.

R. 2<sup>o</sup>. N. *Cons.* Quamvis enim amicitia cum Deo consistat in gratia sanctificante, et sic in aliquo extrinseco, tamen peccatum illam dissolvens recte dicitur offensa Dei personalis; quia per hoc Deus accipit jus odio habendi hominem, sub cuius interminatione peccatum prohibuit. Itaque et veniale potest dici personalis offensa, quia per illud Deus jus acquirit displicantiam suam erga hominem ostendendi, sub cuius interminatione etiam veniale prohibuit. Ad *paritatem* responsum jam est supra. Quin sicut furtum, si præsente, et sub displicantia vel indignatione regia illud prohibente Rege fieret, offensa regia et personalis evaderet: sic cum hæc eveniant in veniali, illud merito offensa divina etiam personalis nuncupatur.

*Nec dicas 3<sup>o</sup>.* Etsi dicatur peccatum veniale aliquid leve continere contra personam Dei, non tamen proinde dicendum est, eum proprie offendere; tum quia quis non offenditur per actum indeliberatum, qualis est in veniali *ex imperfectione actus*: tum quia, si peccatum veniale non versetur circa Deum tanquam objectum, est tantum offensa materialis, non autem formalis Dei: tum quia, si etiam directe attingat Deum, tamen quia circa illum non versatur formaliter, ut ultimus finis est, adeo est levis malitia, ut nihil fere censeatur ad Dei honorem pertinere secundum moralem estimationem.

R. D. Non tamen proinde dicendum est, eum proprie, hoc est graviter offendere C. proprie, hoc est, vere, licet leviter offendere N. Ad rationem 1<sup>am</sup>. R. similiter. Sicut enim actus indeliberatus continet adhuc malitiam saltem levem, sic etiam dare levem offensam potest. Idem R. ad 2<sup>am</sup>. Nam materialis offensa hic debet tantum sumi pro virtuali et interpretativa, qualis etiam peccatum mortale, quod directe contra Deum non tendit, dicitur. Si alio sensu sumatur, falsum asseritur. Ad 3<sup>am</sup>. R. Quamvis nihil fere

censeatur pertinere ad Dei honorem secundum aestimationem moralem, tamen sicut re ipsa vere ac simpliciter non potest censeri nullum esse malum aut peccatum nequidem leve, sic censeri etiam nequit, nequidem levem offensam non esse.

## CAPUT II.

## DE POENA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

## ARTICULUS I.

## AN PECCATO MORTALI STATUTA ET DEBITA SIT POENA ÆTERNA?

49. *Nota 1.* Communis et certa est Theologorum sententia, quæ statuit cuilibet peccato mortali correspondere duplē pœnam, damni scilicet et sensus, uti ex variis parabolis Matth. c. 43. et ex judiciali sententia Christi in cap. 23. Matthæi, aliisque ex locis, ubi mentio fit exclusionis a regno Dei et ignis inferni, manifeste colligitur. Rationem assert D. THOMAS, quia peccato bina insunt: conversio ad commutabile bonum, et aversio a Deo. Aversio autem respondet pœna damni, ut, qui voluntate Deum reliquit, ejus amicitia et conspectus involuntarie privetur: conversioni respondet pœna sensus, ut *quantum glorificavit se in deliciis, tantum detur ei tormentorum*.

De utraque pœna, quæ, sicut peccatum re ipsa unum quid in genere moris constituit, sic una integra totalis pœna est, duplex hic quæstio moveatur: altera *facti*: an peccato mortali vel reprobis statuta sit pœna æterna, hoc est, nunquam finienda? altera *juris*: an mortale pœnam æternam mereatur ex natura sua, seu, unde sumenda sit ratio hujus perpetuitatis?

50. *Nota 2.* Platonicon fabulis, qui asserta metempsychosi animas plerasque peccatis suis ac inde etiam pœnis liberandas affirmabant, nimium addictus ORIGENES, pluribus in locis negavit, dæmonum ac reproborum hominum pœnas fore aeternas. Evidem purgare eumdem conati sunt præter alias Picus Mirandol., Merlinus et Genebrardus, sed irrito, ut PETAV. L. 3. de Angelis c. 6. ostendit, conatu; cum et propria ejus scripta, et THEOPHIL. ALEX., ATHANASIUS, EPIPHANIUS, HIERONYMUS ac AUGUSTINUS, maxime vero CONCILII GEN. V. id testentur, a quo Collat. 8. Can. 11. una cum scriptis error ille Origenis narrante Nicephoro L. 17. damnatus fuit. Preter hunc plures alias S. AUG. L. 21. de Civit. Dei recenset et refutat, qui homines saltem aut certas hominum classes variis ex fundamentis liberandas aliquando ab inferni pœnis erronee senserunt. Similem errorem postremis temporibus amplexi sunt *Sociniani*, negantes justum fore Dei judicium, si unicum peccatum æternæ pœnæ exciperent.

51. *Dico I.* Poena inferni reproborum, et sic peccati mortalis, erit æterna. Est de fide.

*Prob.* Scriptura, ubi de poenis inferni loquitur, semper eas fore æternas enuntiat. Sic Isa. c. ult. et Marc. 9. v. 43. dicitur: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Judith. 16. *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* 2. ad Thess. 1. *Qui penas dabunt in interitu æternas.* Apoc. 14. *Fumus tormentorum..... ascendet in secula seculorum.* Praeterea Matth. 25. post recitatum Judicis divini ferendam in reprobos sententiam subditur: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* In quæ verba S. Aug. L. de Fide et Operib. c. 15. n. 25. commentatur. *Neque illud dici hic poterit..... ignem æternum dictum, non ipsam poenam æternam..... cum et hoc providens Dominus tanquam Dominus, sententiam suam ita concluserit dicens: Sic ibunt illi in combustione æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis.*

*Conf. 1.* Ex CONC. GEN. V. supra cit.: ex Generali VI. Actione 11.; ubi recitata fuit epistola SOPHRONII hoc ORIGENIS dogma referens et damnans (Labb. t. 6. p. 884. B.): ex LATER. IV. cap. Firmiter de SS. Trinit., ubi dicitur, quod reprobi cum Diabolo habituri sint poenam perpetuam: ex TRID. Sess. 6. c. 14. et 15. et Sess. 14. c. 18., ubi definitur in justificatione impii æternam poenam remitti: et ex eodem Sess. 6. Can. 25. ac Sess. 14. Can. 5., ubi supponitur poena æterna peccato mortali esse statuta.

*Conf. 2.* Tum ex consensu PATRUM, quos recitat PETAVIUS de Angelis L. 3. c. 8. et quorum plurimi a nobis ibid. citantur; tum ex sensu universali FIDEIUM, de quo S. Aug. L. de Hæres. ad Quodivultdeum cap. 43. ita scribit: *Quis enim Catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat... eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regnum Dei lucique restitui?* Unde FULG. L. de Fide cap. 43. Firmissime, inquit, tene et nullatenus dubites... iniquos semper arsuros cum diabolo.

52. *Dico II.* Peccatum mortale ex natura sua meretur poenam æternam.

*Prob.* Deus peccato mortali decrevit poenam æternam, ut constat ex num. præced.: Est autem prudens legislator, et justus vindicta, imo de facto magis vult misereri, quam justitiam exercere; ergo in taxanda hac poena credendum est proportionem servasse ad peccati meritum, nec ultra condignum punire.

*Conf.* Ex fundamentis, quæ tanquam rationes perpetuitatis poenæ a Theologis afferri solent. Earum

1<sup>a</sup>. Est ex GREG. M. L. 4. Dial. c. 44. et D. TH. 1. 2. q. 87. a. 3.; quia homo mortaliter peccando sua sponte contraxit reatum culpæ et poenæ, seque in eum statum conjectit, in quo satisfaciendo in æternum non potest se excire ab utroque hoc reatu, cum extinxerit principium satisfactionis, nempe gratiam et charitatem: quod quia ipse reparare non potest, et reatus uterque semper manet, semper poena debetur.

2<sup>a</sup>. Est ex S. Aug. ep. 49. (al. 102.) n. 27. q. 4. quia, qui mortaliter peccat, contemnit finem ultimum et æternitatem beatam: totum vero suum amorem

ac felicitatem perpetuam in creaturæ, quantum in se est, reponit; ergo et æternitatem miseriarum seu poenarum damni et sensus meretur.

3<sup>a</sup>. Est ex S. CHRYS. hom. 9. in 1. ad Corinth. n. 1. quia mortaliter peccans ratione offendit suæ gravis sponte dissolvit amicitiam cum Deo, et ejus inimicum se profitetur; ergo et se exposuit odio Dei, et ut tanquam inimicus ab eo habeatur, dum aut Deus offendit condonet, aut homo satisfiat, quod postremum impossibile est damnatis.

53. *Obj. 1.* Aëternitas in Scriptura interdum sumitur pro longissima, non tamen perpetua duratione; ergo ex ea non ostenditur perpetuitas poenarum.

*R. D. A.* Sumitur pro duratione non perpetua, si sermo est de rebus vitae et seculi præsentis T. si sermo sit de rebus vitae et seculi futuri, ubi scilicet non est mutatio nec finis N. Dixi: *Transeat;* quia promissiones in æternum aliaque, quæ figuræ munus obeunt, sæpe secundum figuram quidem præteriere, secundum figuratum autem æterna sunt. Porro facit pro nostra veritate, quod Christus, ubi judiciale sententiam pronuntiat, utique proprio verborum sensu usus, poenas dicat æternas. Accedit, ut observat S. Aug. L. 21. de Civit. c. 23., quod in eodem versu de vita æterna æque ac supplice æterno mentio fiat; ergo cum adversarii veram vitæ æternitatem faveantur, quid perpetuitatem supplicii in dubium vocant?

*Inst. 1.* Scriptura multis in locis extollit misericordiam Dei supra justitiam. Item Ps. 102. ait: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.... Et Ps. 76. Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continet in ira sua misericordias suas?* ergo, *Conf. Marc. 12.* de Scribis dicitur: *Hi accipient prolixius iudicium.*

*D. A.* Scriptura extollit et sic loquitur de effectibus misericordie in hac vita et seculo C. in vita et seculo altero N. Nempe maxima Dei misericordia ex eo eluet, quod non damnaverit genus humanum secundum rigorem justitiae, sed dederit Redemptorem, et nunc etiam peccantibus parcat propter Christum, delque locum poenitentiae; quod unum textus laudati probant. Unde ex annotatione S. Aug. postremo loco Psalmi statim subditur: *Dixi: nunc capi: haec mutatio dexteræ Excelsi etc.* Vita itaque præsens est tempus miserendi, ubi homo corrigi potest et mereri. Post hanc vero erit tempus iudicandi, prævalebit justitia, nec locus veniae concedetur, ut Christus aperte monet Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcерem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Et Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Adde, quod ex communis Theologorum damnati puniantur infra condignum, hoc sensu, quia Deus singulis peccatis decrevit poenas minores, quam in toto rigore mererentur.

*Ad Conf. R. D.* Accipient iudicium prolixius in acerbitate C. in duratione N. Inæqua quidem damnatorum supplicia erunt quoad acerbitudinem, non quoad durationem.

*Inst. 2.* Saltem non omnes, licet in peccato mortali fuerint mortui, in æternum punientur. Ejusmodi autem sunt primo, qui baptismum Christi et Eucharistiam acceperunt; quia si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Secundo, qui manent in fide Christi; quia fundamentum habent Christum: unde licet opera mala huic superædificata fuerint, hæc quidem

tanquam fœnum et stipulae exurenda sunt, ipse nihilominus, ut ait Apost. 1. Cor. 3. *salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Tertio, qui persistantes in fide Christi et unitate Ecclesie faciunt opera misericordie, licet varia simul peccata committant; quia *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* etc.

R. Hos aliosque errores recitat et expugnat S. Avg. nuper laudatus, ex quo N. Ass.

*Contra 1<sup>um</sup>.* est, quod non omnis, qui semel crediderit et baptizatus fuerit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: nec juvat, quod quis Eucharistiam accipiat; si enim dignus illum sumit, habet quidem panem operativum vitæ æternæ, quam obtinebit, si perseveret: si vero indignus, judicium sibi manducat.

*Contra 2<sup>um</sup>.* est, quod Christus pronuntiet damnationis sententiam in eos, qui opera misericordiae non præstiterunt: Apostolus autem dicat, agentes opera carnis non possessuros regnum Dei: Ad Corinthios vero loquatur de igne purgatorio, non æterno, ad quem damnati discedent.

*Contra 3<sup>um</sup>.* est, quod valeant misericordiae opera tum ad impetrandum a Deo gratiæ auxilium et ad poenitentiam agendum, tum ad peccata delenda secundum reatum poene restantem, si siant propter Christum: Nihil vero valent ad vitam, si homo nolit diligere Christum, aut ab eo justificari, ut ait S. Doctor ex Apostolo: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde liquet, sub qua conditione beatitudo misericordibus promissa sit.

34. Obj. II. Prioribus saltem seculis non fuit constans de hac re sententia. Nam 1<sup>o</sup>. S. JUSTIN. in Dial. cum Tryphone, et S. IREN. L. 2. adv. Haeres. c. 64. videntur negare immortalitatem animæ, et consequenter æternitatem poenæ. 2<sup>o</sup>. S. GREG. Nyss. in Orat. catechetica c. 26. (opp. t. 3. p. 84. C.) et L. de anima et resurr. (ibid. p. 211. D. 212.) ait, Diabelum et homines post diuturnam purgationem liberandos. 3<sup>o</sup>. GREG. NAZ. oratione 39. n. 19. et 40. n. 36, item in Carmine Heroico de Vita sua dubius saltem est de perpetuitate poenarum. 4<sup>o</sup>. S. AMBROSIUS sermon. 20. in Ps. 118. n. 22-24. dubie et obscure, in comment. in ep. 2. ad Tim. c. 2. v. 20. autem satis clare negat poenarum æternitatem. 5<sup>o</sup>. S. HIERON. variis in scriptis suis præsertim in comment. in ep. ad Ephes. assert sententias Origenis absque censura earum aut reprobatione; quin eumdem subinde laudat: in Dial. autem primo cont. Pelag. n. 28. textus Scripturæ, queis supplicium damnatorum exprimitur, in aliud sensum vel de infidelibus duntaxat explicat, et præter alia dicit: *Aliud est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo.* Item: *Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post poenas.*

R. Quod PATRES nonnulli speciem quamdam dogmatis Origeniani suis scriptis asperserint, ortum, si PETAVIO credimus, fuit ex eo quod illi ORIGENEM magni fecerint, et in Scripturis interpretandis sere ducem adhibere consueverint. Quamvis vero illis ex eo capite facilis indulgendum foret, quod, necdum declarata tum temporis per Concilii definitiones mente Ecclesie, sinistram interpretationem sequerentur, et eorum etiam singularis opinio dogmati nostro nihil officiat, cum nonnisi unanimis Patrum consensus sit infallibilis; est tamen, quod ad singulos reponamus. Unde

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. JUSTINUS in Apologia ultraque agnoscit poenarum perpetuitatem tum a dæmoni, tum a reprobis angelis et hominibus esse subeundam. Hujus sententiam laudat IRENEUS, eique subserbit L. 4. cap. 47. (al. 28. n. 2. et 3.); unde quod obscurius de immortalitate animarum locis supra cit. dixerant, hic clarius reddiderunt.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. GREGORIUM Nyss. jam olim defendit GERMANUS Patr. Constantinopolitanus apud Photium asserens, ejus libros ab hæreticis Origenis fautoribus esse corruptos. Contra quod licet quidam ob styli similitudinem, dicendi characterem et orationem consequentem excipiunt; tamen improbabile non redditur, tum quia hoc imitationis et solertiae genus ab hæreticorum ingenio non abhorret: tum quia NYSSENUS in Or. *De his, qui baptismum differunt,* proprius ad veritatem accedit.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. NAZIAN. in Orat. 16. n. 7. asserit luculenter poenas damnatorum nullo fine terminandas; et in Carmine Iambico 19. de Comparat. Vitarum v. 193. vermem non esse moriturum. Unde alibi dicta mollius et de purgatoriis poena exponi debent.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. PRIMUM Ambrosii locum obscurum fatemur: clarus autem sensus est L. de lapsi Virginis c. 8. n. 32. ubi ait: *Ego tamen qui scio graviora facinoris servari tormenta, et in fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos, etc.* Commentariorum vero in ep. ad Ephes. auctor non fuit AMBROSIUS, sed Hilarius Diaconus Luciferianus, ut BELLARMINUS putat, vel alius quicunque potius, ut hic PETAVIUS annotat.

*Ad 5<sup>um</sup>.* S. HIERON. Catholicam de dogmate hoc sententiam suam multis in locis manifeste declaravit, nempe in Comment. ad Isa. c. 14. v. 20. et c. 27., ad Daniel. c. 3., ad Matth. c. 25. v. 46., maxime vero in Apologia prima et secunda contra RUFFINUM, qui eum salutis diabolice suspectum reddere conabatur; ubi declarat in locis quibusdam objectis non suam, sed alienam sententiam a se propositam, neque laudatam Origenis personam, sed viri ingenium, nec eum ut Theologum, sed ut Philosophum commendatum, neque eius opiniones fidei repugnantes esse adoptatas; quas dein, et suspicionem a se strenue propulsavit.

Ad illa, quæ ex *Dialogo* allata sunt, observandum 1<sup>o</sup>. Eum agere hic contra Pelagianos, qui negabant discrimen inter mortale et veniale intercedere, et remitti peccatum, antequam homo ita corrigat mores, ut immunis sit ab omni peccato: 2<sup>o</sup>. Nomine peccatoris aut iniqui ab eo non intelligi semper eum, qui mortalis peccati reus est, sed etiam illum, qui veniale tantum commisit.

Inde autem 1<sup>o</sup>. recte dicit, loca Scripturæ supplicium æternum testantia non esse intelligenda generaliter de peccatoribus omnibus, et cujusque peccati reis. 2<sup>o</sup>. Docet reos venialis peccati perdere eximiam gloriam innocentibus aut eximie sanctis destinatam, reos autem mortalis perire perpetuo; unde inter perdere gloriam et perire perpetuo bene distinxit. 3<sup>o</sup>. Christianos asserit salvandos post poenas, si in peccato veniali præventi fuerint; et reprehendit Pelagium, quod fideles cum infidelibus confundat; cum tamen illi sc̄epe cum veniali duntaxat decadant, et hinc poenis æternis non multentur: infideles autem moriantur in mortali, et hinc perpetuo supplicio subdantur.

*Inst. 1.* Ecclesia videtur credere, redemptionem aut refrigerium convenire

posse damnatis; sic enim orat in Missa pro defunctis: *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus etc.* Conf. Isa. c. 24. dicitur: *Congregabuntur.... in lacum, et claudentur ibi in carcere: et post multos dies visitabuntur.*

R. N. A. Ecclesia contrarium asserit, dum in officio defunctorum dicit: *In inferno nulla est redemptio.* Unde oratio illa ex communi Ecclesiae sensu et uso in aliis officiis per vulgatum retrotrahitur ad ipsum agonis momentum, adeo ut Deus futura oratione tactus rogetur, ut animam morientis liberet a poenis inferni, nec sinat cadere in obscurum: vel effunditur, ut, si defuncti anima purgatorio igni tradita sit, ab eo liberetur, cum purgatorii locus ab Ecclesia sepe inferorum nomine exprimatur.

*Ad Conf. R. D.* τὸ visitabuntur accipiendo pro officio consolacionis alterius levaminis N. accipiendo pro exercitio punitionis aut afflictionis, sub qua ratione frequenter usurpatur in Scripturis C. Unde hic textus potius probat impios in aeternum puniendos.

Inst. 2. PRUDENTIUS, AUGUSTINUS et CHRYSOST. apud Petavium de Ang. L. 3. c. 8. innuit, damnatis subinde respirationis quidpiam obvenire, eorumque poenas fidelium orationibus, si non solvantur, saltē sublevari. Ergo aeterna poena dici nequit.

R. Videtur poetica potius singendi quidpiam licentia, quam probabilis sententia PRUDENTII esse, dum hymno quinto cecinit demonibus et damnatis pusillum quietis per festum Paschale indulgeri. S. AUGUSTINI in Ench. c. 410. non est absoluta, sed hypothetica tantum emuntatio, ubi dixit, si sacrificia et pietatis opera damnatis aliquid prosint, non prodesse, nisi ut aliquid levamenti afferant. Denique S. CHRYSOST. indulgentia quadam oratoria plus aliquid concessit immoderate defunctos deflentibus, dum hom. 3. in ep. ad Philip. dixit, Christianos damnatos per fidelium preces et sacrificia levi quidem, sed aliquo tamen solatio juvari.

Quamvis enim hac de re certi nihil ab Ecclesia sit decretum, maximum tamen contra illam prejudicium est, quod nunquam pro damnatis orare Ecclesia consuevit. Accedit, quod damnati sint extra communionem Sanctorum, adeoque a nostris precibus commodi nihil habere possint.

53. Obj. III. S. Aug. in Ps. 71. v. 14. *Ex usuris et iniustitate redimet animas eorum, sic scribit: Quae sunt istae usuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis;* ergo juxta S. Doctoris mentem mortale ex natura sua non meretur aeternam poenam. Conf. Sap. 1. Deus non delectatur in perditione hominum: sed juxta Philosophum nullus sapiens facit aliquid, nisi propter se in ipso delectetur; ergo Deus non puniet homines morte aeterna.

R. D. A. Plus mali invenitur in suppliciis, quam quod mali physici subinde commissum est in peccatis C. quam quod mali moralis est commissum N. Responsum probant verba subsequentia: *Nam v. g. cum homicida corpus tantum hominis perimat, animo autem nihil nocere possit; ipsius et anima et corpus perditur in gehenna.*

*Ad Conf. D. M.* Deus non delectatur in perditione hominum antecedenter,

et non supposita culpa exigente hanc poenam C. consequenter ad culpam subd. non delectatur in perditione præcise propter ipsam C. propter manifestationem justitiae sue N.

Inst. 1. Judex sapiens punit ad corrigendum; sunt enim testante Philosopho poenæ medicinæ quædam: poena autem aeterna post judicium non prodest ad correctionem; ergo.

R. D. Judex sapiens statuendo poenas agit plerumque ad corrigendum, et poenæ pro aliquo saltem tempore sunt medicinæ T. absolute, semper ac necessario, ita ut poena esse non possit, nisi medicina aliis sit N. Pœnæ etiam aeternæ sunt de facto medicinæ secundum illud Ps. 39. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui;* post judicium etiam præstant, ut boni tanto magis gaudeant, quod vel ex justitiae amore, vel ex poenarum illarum timore bene egerint. Quanquam satis est, afflictiones illas aeternas manere actus justitiae vindicativæ, ac essentialiæ poenæ rationem habere.

Inst. 2. Inter culpam et poenam debet esse proportio: hæc non habetur, si poena sit aeterna, cum culpa sit momentanea; ergo.

R. D. M. Debet esse proportio quoad entitatem vel durationem N. quoad meritum vel causam et supplicium vel effectum C. In nullo judicio requiritur inter culpam et poenam proportio a duratione, ut D. Th. 1. 2. q. 87. a. 3. ad 4. ait, citans S. Aug. L. 21. de Civ. c. 11. *Non enim, quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; sed quandoque quidem perpetuo careere vel exilio, quandoque etiam morte; in qua non consideratur occasionis mœra, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium:* et sic repræsentat suo modo aeternitatem poenæ inflictæ divinitus.

Inst. 3. In tribunali humano quævis crimina sufficienter et æqualiter puniuntur poena finiti temporis; ergo et in tribunali divino, ne Deus sit minus lenis, quam homines.

R. 1º. N. A. Tum quia ex modo dictis poenam homines etiam infligunt, quæ suo modo repræsentat aeternitatem poenæ: tum quia, quod homines poenas temporales flagitiis enormibus reddant, non ideo fit, quod poenæ illæ sint sufficientes et æquales.

R. 2º. *Disparitas* est. Homines nec possunt exacte punire peccata, nec punire debent, nisi secundum exigentiam boni communis, quod sepe non permittit adæquatam poenæ rationem ad meritum culpare. Deus vero potest et debet exacte punire, ut sicut sua est virtuti merces, sic vitio etiam sit poena. Hinc vero non sequitur Deum minus lenem fore: sed optime novisse merita peccatorum, et sine periculo injuriaæ aut excessus decernere posse supplicia.

Inst. 4. Peccatum mortale est aliquid simpliciter finitum in omni ratione; ergo et poena in nullâ ratione debet esse infinita.

R. N. A. Est enim mortale peccatum respective perfecte infinitum, est etiam moraliter infinitum quoad durationem, ut innuitur Marc. 3. v. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.*

Inst. 5. Eliamsi pura creatura non possit satisfacere pro peccato mortali, potest tamen satispati; quia ad satispassionem, sicut ad solutionem, non

requiritur condignitas personæ satispatientis; ergo fundamenta superius allata nihil conficiunt. *Conf.* Liceat quis pumiatur juste, donec satisfaciat, quando satisfacere potest et non vult: juste tamen non punitur, quando satisfacere non potest; quia ad impossibilia ex communi axiomate nemo tenetur. Atqui damnati non possunt satisfacere; ergo.

R. N. A. Homo pro mortali peccato satispati nunquam potest, ita ut nihil amplius patientium restet; tum quia ad pœnæ æternæ finem deveniri numquam potest: tum quia reatus culpæ ex parte hominis infert debitum satisfaciendi, nunquam a damnato extingendum.

*Ad Conf. D. 2. p. A.* Juste non punitur, si satisfacere non potest, nisi in statum impotentiae se ipsum libere conjectit. T. si in hunc statum libere se conjectit N. In humanis etiam juste plectitur is, qui libere contraxit majora debita, quam ut iis satisfacere queat. *Rationem.* D. Nemo tenetur ad impossible, ita tamen, ut loco impossibilis teneatur ad possibile C. ut neque ad possibile aliud teneatur N. Damnatus, cum nequeat solvere debitum contractum, debet quasi pensionem pœnarum perpetuam præstare.

*Inst. 6.* Indignum est, aliquem tamdiu cruciare, dum mutilatum alteri membrum restituat; cum id in ejus potestate non sit; ergo etiam iniquum est peccatorem tamdiu in inferno torquere, dum e statu peccati exeat, cum nec id penes eum sit.

R. T. A. ob modo dicta. N. C. Si pœna perpetui carceris, exilii, servitutis etc. legibus statuta foret, non esset indignum, ea transgressorum contingerent mulctare, non quidem ideo, quod membrum non restituat, sed quod semper maneat reatus pœne, quo ipse tota sua vita se nequit eximere: quod si in mutilatores temporalis tantum pœna legibus fuisset sancita, transgressor utique indigne pœna perpetua afficeretur; siquidem exhausta pœna ille legibus nihil ultra debet, nec judex acerbius plectere potest, quam leges sinant. *Primum* etiam accidit in damnatis, qui non ideo puniuntur a Deo in æternum, quod non præsent est impossibilia, sed quod reatus culpæ et pœna iis jugiter inhæreat, eosque odio et suppliciis dignos reddat; in secundo contrarium habetur; Deus enim ut summus et justissimus legislator sanxit, ut qui ipsum graviter offenderit, et decesserit in expiatus, reatum pœnae æternæ incurrat et subeat; unde nihil iniquitatis appetit.

QÜERES: Quid sentiendum de liberatione Trajani Imperatoris a gehenna precibus S. Gregorii Magni?

56. Nota. In vita GREGORII M. Paulus Diaconus c. 27. et Joannes Diaconus L. 2. c. 44. narrant hunc Pontificem, cum per forum Trajani transiens recordatus esset mansuetudinis et justitiae ab eo Imperatore olim viduæ cuidam exhibitæ, hac virtute commotum in Basilica S. Petri tamdiu pro Trajano flevisse et fudisse preces, dum sequenti nocte responsum accepisset, se pro Trajano fuisse auditum: monitum vero, ne pro ullo ulterius pagano preces funderet.

57. R. I. Rejicienda est tanquam commentitia. Ita post BARONIUM, BELLARMINUM, MELCHIOREM CANUM, DOMINIC. SOTO, POSSEVINUM, NATALEM ALEXANDRUM, CARD. LAMBERTINUM aliasque plerique.

*Ratio est 1º.* Quia repugnat dogmati fidei, pœnas damnatorum æternas statuentis, et nullum excipientis.

*2º.* Quia repugnat ipsi fidei, quam S. GREGORIUS habuit, qui L. 7. epist. 15., L. 4. Dial. c. 44. et L. 34. Mor. c. 46. (al. 19. n. 35.) docet pœnas inferni esse æternas: nullam in inferno redemptionem: nec orandum pro hominibus impiis et sine baptismō vita functis, qualis erat Princeps ille Ethnicus, persecutor Christianorum atrocissimus et omnibus libidinibus deditus.

*3º.* Quia repugnat fidei humanæ ob Auctorum in hac historiâ referenda dissensionem; ob nugas, quibus illi narrationem hanc adornant; et ob veterum scriptorum tum vitae Trajani, tum vitae GREGORII de facti occasione et ipso facto silentium.

*Nec obstat 4º.* Quod hanc historiam ediderint duo illi Scriptores; quia synchroni non erant, sed trecentis ferme annis posteriores; hoc non ex probatis actis, sed obscuris et dubiis monumentis enarrantes.

*Nee 2º.* Quod eadem narratio habeatur in S. JOANN. DAMASCENI oratione de iis, qui in fide dormierunt; tum quia haec oratio est supposititia, ut ostendit BELLARM., NAT. ALEXANDER et MICHAEL LE QUIEN: tum quia in Dial. cont. Manichæos et L. 2. de fide Orthod. c. 4. propositionem universalem huic singulari narrationi contradictoriam S. Doctor hic defendit.

*Nec 3º.* Quod Euchologium Græcorum eam historiam in oratione quadam pro defunctis habeat; quia haec fabula ex pseudo-Joanne Damasceno in Euchologium facile irrepere poterat; cui proin fides habenda non est, præser-tim cum Ecclesia Græca, ex quo in schisma lapsa est, in graviores etiam errores impegerit.

*Nec 4º.* Quod in libris Revelationum SS. BRIGITÆ et MECHTILDIS idem continetur; quia revelationes hæ fidem non faciunt, partim quia ab Ecclesia non fuerunt approbatæ, partim quia inter se circa hanc materiam contrariae sunt.

58. R. II. Veritate hujus historiæ gratis supposita, andiri potest D. THOMAS in suppl. q. 71. a. 3. ad 3. ita scribens: *Dicendum, quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter aestimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a pœna: sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse. De omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam. Secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de iis disponendum. Vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnae æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicij: nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia; quia alia sunt, quæ lege communi accidunt; et alia, quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur: sicut alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, ut Aug. dicit in L. de cura pro mortuis agenda.*